Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26218
Copyright: Admont, Benediktinerstift

moralitatem intulit; sed in verbis sequentibus ad sola se prophetiae
arcana sustollit. Ima enim iam mortalitatis deserit, et ad
prophetiae summa conscendit. Nec mirandum quod vir arrogans
impleri prophetico spiritu potuit, cum Saul etiam in numero pro
phetarum fuit. Sed hoc de Saul cur dicimus, cum ex visione an
geli accepisse verba rationabilia et asinam noverimus.
Sed sicut irrationale animal rationis edidit verba, nec tamen ad
permutationem rationalis naturae accessit, ita saepe quilibet
indignus sancta verba prophetiae spiritum accipit, sed tamen ad prome
rendam sanctitatis gloriam non pertingit, ut et supra se loquendo e
mineat, et infra se vivendo torpescat. Unde nunc Heliu
redemptoris nostri adventum humiliter humilis conspicit, et eum
prophetando praedicat, quem elatis moribus inpugnat, dicens:
¶ ·II. Ecce Deus excelsus in fortitudine sua, et nullus ei similis
in legis latoribus. Ac si dicat: Qui humilis videbatur in
infirmitate, excelsus manet in fortitudine. Paulo
hoc etiam attestante qui ait: Quia et si crucifixus est ex
infirmitate, sed vivit ex virtute Dei. De quo recte sub
iungitur: Nullus ei similis in legis latoribus. Legis lator
Moyses, legis lator Iosue, legis latores etiam prophetae.
Legis latores cunctos dicere possumus, quos ex lege admo
nuisse recte populum scimus. Sed huic mediatori in legis la
toribus similis nullus est, quia isti gratuito vocati ex pecca
tis ad innocentiam redeunt, et ab his quae in semet ipsis
experti sunt, praedicando alios reducunt. Redemptor autem noster ho
mo sine peccato est, filius sine adoptione, nec perpetravit
umquam quod redarguit, et sic mundo ex humilitate loquitur,
ut tamen eidem mundo ante saecula ex divinitate dominetur.
Hunc mediatorem Dei et hominum quidam legis latoribus simulem
fuisse crediderunt. Nam requirenti quem dicunt homines esse